



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

10 An quodlibet peccatum quantumvis secretum possit Praelato deferri
omissa secreta correctione, quando existimatur Praelatus melius
delinquentem correcturus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

PUNCTUM X.

An quodlibet peccatum, quantumvis secretum, post Prælati deferri, omnia secreta correctione, quando existimatur Prælatum melius delinquentem correcturus.

- 1 Stante cessione iuris id certum est.
- 2 Illa cessione plures DD. negant.
- 3 Contrarium est probabilius.
- 4 In religionibus semper presumendum est Prælatum melius correcturum.

Stante cessione iuris nemini potest esse dubium te posse peccatum proximi ad Prælatum, ut patrem in hoc casu deferre: ita expressè Valent. *part. 5. pag. 687. §. respondeo*, Suar. Torres, Sanchez, supra allegati.

Verùm cessione iuris non posita negant Adrian. IV. *quest. de correct. fraternæ. §. pro huius decisione*. Sotus de secreto. *membr. 2. q. 4. dub. 3. statim in prin.* Natarr. *cap. inter verba. §. 11. quest. 3. in 2. edit. concl. 2. col. 44. n. 113.* Navarra de restitut. *lib. 2. c. 4. in nota edit. part. 2. dub. 12. n. 120.* Petrus de Ledelma *tom. 2. summ. tract. 4. fol. 292. difficult. 6. concl. 24.* Lorca *2. 2. quest. 33. art. 8. sect. 3. disp. 47. dub. 10. §. n. 7.* Negant, inquam, ij D. D. te posse peccatum proximi ad Prælatum, etiam ut patrem deferre, si sufficienter ex tua admonitione speras vitæ salutem, etiam si Prælatus aprior videatur ad correctionem. Quia manifestatione criminis Prælato facta lædis proximi famam. Ergo cum hæc læsio non sit necessaria ad eius correctionem, non est cur apponatur.

Nihilominus dicendum existimo omitti posse correctionem secretam in hoc casu, Prælatoque ut patri manifestati delictum posse: ita expressè cum Ricardo, & diuo Thoma affirmat Suarez *disput. 8. de charit. sect. 6. nu. 17. lazius, tom. 4. de relig. lib. 10. 1010 cap. 9. §. 10.* Moueot ex eo, quod Medicus corporalis prudenter vitæ acerbiore medicina, quamvis non sit valde necessaria, si tamen est valde vilis. Ergo etiam si correctio pro Prælato non sit necessaria simpliciter, si tamen est valde vilis, & efficacior secreta correctione, poteris hac omnia delictum ad Prælatum deferre. Quod religionibus, ut bene dicit Suarez hæc sententia sequenda est, in aliis vero, quia magis sunt sui iuris, nisi fructus notabilis speretur pro certo, non est admitrenda.

Addendum tamen est in religionibus, præcipue in Societate, semper præsumendum esse melius subditum delinquentem pro Prælato corripiendum esse, quam à quolibet particulati, dum contrarium non constat. Tum quia Prælatus occasiones peccati remouere potest, quas non potest alius subditus. Tum quia ipse Prælatus penitentias, & remedia applicare potest, quæ per alios subditos non possunt applicari. Tum quia difficiliter subditus simulare potest Prælato emendationem, quam tamen facili negotio simulare potest alteri fratri, sic latè expendit Agidius de Coninch. *2. 2. disput. 28. dub. 11. n. 202.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 9. num. 11.*

PUNCTUM XI.

Quid possit Prælatus facere ex denunciatione sibi ut patri facta de peccato subditi.

- 1 Non potest Prælatus ex tali denunciatione iudicialiter procedere.
- 2 Aliqua tamen moderata penitentia potest Prælatus delinquentem punire.
- 3 Potest subditum à loco, & officio remouere, si hoc absque infamia fieri potest.
- 4 Qua prudentia debeant Superiores in hoc procedere.
- 5 Potest Prælatus alicui, vel aliquibus viris grauib delictum subditi manifestare, si hoc necessarium est ad eius correctionem.
- 6 Rector collegij Provincialis manifestans delictum sui subditi, quem absque tali manifestatione emendare potest, non videtur mortaliter peccare.
- 7 Probabilis est oppositum.
- 8 Potest Prælatus subditi delinquenti socium designare fidelem, qui eius actiones exploret, & Prælato deferat.
- 9 An possit Prælatus significare socio designato se male de subditi sentire, ut sic diligentius vigilet?
- 10 Item potest Prælatus subditum delinquentem coram duobus, vel tribus testibus reprehendere.
- 11 Si per denunciationem paternam remedium non adhibetur sufficiens, & delictum vergit in damnum communicati, vel tertie persone, tenetur denunciatus iudiciali denunciationem facere.

Certum est non posse Prælatum ex tali denunciatione procedere iudicialiter, & delinquentem punire: ita omnes

Doctores, ut videtur est apud Suarez *disput. 8. de charitate, sect. 10. num. 18.* & *tom. 4. de relig. cap. 11. num. 36.* & 47. Bannes *dub. 4. conclus. 2.* Petrus de Ledelma *tract. 4. de correct. concl. 25. fol. 292.* quia tunc delicta non manifestantur Prælato iudicanda, & punianda, sed paterno amore corrigenda. Quapropter diuus Thomas *2. 2. quest. 33. art. 8. ad 4.* Ricardus *artic. 3. quest. 2. ad 1.* Adrianus *in fine quest. de correct. Gab. lect. 74. littera T.* Syluester *verbo correctio. dub. 5.* Armilla *num. 3.* Antoninus *§. 4. Sotus membr. 2. quest. 4. ad 3.* Lorca *2. 2. quest. 33. art. 8. disput. 46. numer. 24.* Agidius de Coninch. *2. 2. disputat. 28. dub. 10. numer. 176.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 10. num. 2.* & 4. affirmant denunciationem Prælato, ut patri factam pertinere ad illum secundum gradum correctionis fraternæ, quod mandat à Christo Domino adhiberi testes, si secreto corripientem peccans non audierit. Nam quando Christus dicit, si testes peccans non audierit, dicendum esse Ecclesie, idem est, ac si diceret dicendum esse Prælato, ut iudici, siquidem habetur peccans, ut Ethnicus, & Publicanus, ac proinde ut excommunicatus, si Ecclesiam non audierit, quod abique iudicio, & causæ cognitione fieri non potest: & ita docuit diuus Thomas *quest. 33. art. 7. §. 8.* Lorca *disput. 46. sect. 3. membr. 2. num. 23.* & restatur esse commune. Idem tradit Ricardus *4. distinct. 19. art. 3. quest. 2. ad 2.* Chryostomus, Durandus, Adrianus, Syluester, Gab. & alij, quos refert & sequitur Valent. *disput. 1. quest. 10. part. 5. pag. 687.* Probaturque potest ex *cap. nouit. de iudic. cap. cum ex inuicito, de hæres. cap. dicit Heli. de simonia.*

Verùm ex hac denunciatione potest Prælatus hac moderata penitentia delinquentem punire, quæ neque infamiam irrogat, neque delictum, si graue est, manifestet. Ellet enim contra ius delicto non probato illud punire, ac si probatum esset, & secretò manifestatum ad correctionem, per penitentiam euulgare. At aliqua puniri pro delictis, quæ nullam irrogant infamiam, & quæ solent communiter à religiosis committi, limites correctionis fraternæ non excedit, sicuti in parte carnali cum filiis contingit. Si verò delictum graue sit, præcipue si probari potest, & ad penitentiam aliquam secretam poterit procedere, quæ magis correctiua, & præseruatiua delicti sit, quam punitiua. Suar. *tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 18. num. 37.* & in hoc sensu dixit Villagutier *in sua pract. lib. 2. tit. de denunciat. euangel. cap. 4. Conclus. 1. pag. 103.* propter denunciationem factam Prælato, ut patri, non potest Prælatus procedere ad penitentiam, sed ad compunctionem eius secretis correctionibus elaborare, ut dicitur in *cap. si tantum in 6. quest. 2.* & est Concilij Varenis, *cap. placuit. 6. q. 2. & cap. enobescant. 32. dist.* intelligitur enim de penitentia purè punitiua, non correctiua. Eandem doctrinam tradit Sotus *de regendo secreto membr. 2. q. 4. concl. 7.* Suarez *de charit. disput. 8. sect. 10. n. 18.* & *tom. 4. de relig. cap. 10. n. 13.* Petrus de Ledelma *2. tom. summ. tract. 4. concl. 26. pag. 291.* Valent. *disput. 3. quest. 10. part. 5. refert. ad 1. igitur. pag. 687.* Villalobos *tom. 2. tract. 4. difficult. 14.* consentit congregatio V. I. generalis Societatis Iesu in explicatione decreti, *49. de manifestatione delicti, c. 15. part. 2. n. 61.*

Secundo potest Prælatus, cui ut Patri reuelatum est crimen subditi illum à loco, vel ministerio aliquo remouere; quando munus ex solo nuro superioris pendet, & fieri potest remotio sine ulla sui infamia omnibus circumstantiis prudenter consideratis: ita expressè Suarez *tom. de relig. lib. 10. 12. 11. §. c. 12. n. 18.* Torres *2. 2. q. 33. disput. 89. dub. 4. §. secundo aduertendum.* Probaturque ex *cap. qualiter, & quando 2. de accusat. vbi Pontifex dicit ordinem correctionis non esse semper cum personis religiosis seruandum, quia facilius, & liberius possunt à suis admittantibus remoueri: & tradit Congregatio, vbi supra n. 5. & habetur in 6. Congregat. decreto 61. de manifestat. delicti. Ratio huius conclusionis in promptu est: nam esse delictum non fuerit commissum, nulla delinquente superiori irrogant iniuria in remotione à tali loco, & officio: cum pro sua voluntate id possit efficiere, & ex alia parte potest esse maximè vilis ad præcauendum damnum ergo sufficiens honestatè.*

Debent tamen superiores maxima prudentia, & animaduersione procedere, tum in examinando, an necessarium sit ad emendationem fratris, & præcauendum damnum, illum ab officio & occupatione, & habitatione remouere. Nam si hoc necessarium non sit, aut valde vile, nequaquam debet id superior præstare, quia est medium nimis aperiendum, & rigorosum, sed potius debet cum eodem modo tractare, & honorare, ut colligitur ex Calisto Papa relato in *cap. porderet. 50. dist. ibi. Si aliquis lapsus quocumque modo fuerit, oportet eum, & paterno corripimus affectu, & paulo inferius.* Porò S. David de mortiferis criminibus egit penitentiam, & tamen in honore permansit. Deinde debent superiores vigilare, ne forte delator inuidia, aut odio alto motus, delictum alteri imponerit, aut commissam exaggerauerit, ut in decreto 8. V. I. Congregationis Societatis, dist. 11. vbi, caueant superiores, ne faciles delatoribus aures præbent, disquirantque singula, donec delatè rei cognitionem veniant, ut aut innocentem liberent, aut noxium, falsumque delatorem pro rei magnitudine puniant. Quapropter ob vnius dictum, nisi alia præsumptiones concurrerent, nunquam censendum debere superiorem ab officio, & loco subditum remouere. Est enim res nimis grauis, & quæ subditos valde constare possit. Quod